

qualiter se habuerunt quando sciuerunt quod bercha & homines sui prope exercitum uenerant /qualiter vlau gentibus suis loquitur :/

126<sup>r</sup>° **P**ostquam autem vlau sciuit quod bercha cum tanta gentis multitudine uenerat congregauit magnam quantitatem uirorum nobilium in suo colloquio quos fuit taliter alocutus o fratres filij & amici/ uos scitis quod totis temporibus uite mee in omnibus meis opportunitatibus me iuuastis & mecum simul uicimus multa prelia & nunquam fuistis in aliquo prelio mecum/ de quo uictores non fuerimus. & nos hucusque uenimus ad belandum cum isto uiro magnifico berca. & scio firmiter/ quod ipse habet tot gentes quot nos habemus & plures/ set non tam ualentes & probas. Nam si e[ss]ent duplo plures quam sint/ cum illis bonis gentibus quas habemus ipsos debelabimus & nos per nostro[s] expropratores scimus/ quod tercia die ab hodierna ad prelium de quo multum gaudeo ueniunt Quare omnes deprecor/ quatenus die predicta sitis bene parati & bene facere cogitetis sicut consueti estis. Et unum solum ad memoriam reducere uobis uollo. uidelicet quod melius est in camprestri prelio mori manutenendo suum honorem & statum si aliter non potest accidere quam debelatio super nos reuertatur. Et quilibet taliter se habeat quod honor noster conseruetur. & inimici nostri sint debelati & mortui. Et taliter vlau suum colloquium difiniuit. In hunc uero modum alocuti fuerunt isti duo magnifici dominj. & expectabant quod adueniret dies belli. Et quelibet pars se preparauit quam melius de omnibus rebus ualuit quas sciebant esse necessarie :/ hic narratur prelium quod fuit inter vlau & bercha :/

126<sup>v</sup>° Et cum dies belli uenisset vlau tempestiue surexit & fecit armare omnes suas gentes & omnes suas acies ordinauit quam melius sciuit bene & ordinate tamquam uir prudens ut ipse erat statuit triginta acies in singulis quarum erant decem milia equitum quia sicut superius retulimus habere poterat circa trecenta milia equitum. & in singulis bonum apposuit conductorem et cum ordinasset esse suum bene & sapienter precepit suis aciebus quod procederent ultra uersus inimicos eorum/ que precepta sua adimpleta fuerunt. Nam statim arripuerunt iter/ & iuerunt usque ad dimidium uie inter unum campum & reliquum/ & ibi prestolabantur inimicos quod uenirent ad prelium. Et ab alia parte rex bercha eodem mane surexit cum omnibus suis gentibus. & se bene armauerunt & preparauerunt. & bene & ordinate suas acies ordinauit/ que fuerunt triginta quinque. Nam in singulis erant decem milia equitum & conductores boni. Et cum bercha totum istud egisset precepit suis aciebus ut ultra procederent. & ipse precepta sua fecerunt nam iuerunt prope inimicos eorum per dimidium miliare & ibi permanserunt aliquantulum & postmodum processerunt ulterius & vlau cum suis gentibus ouiam eis iuerunt. Et cum prope per duas balistratas fuissent. ambe partes se ordinauerunt. planicies quidem erat pulcrior que sciretur in qua magna quantitas militum bellare ualebat.